



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Lupus Episcop. 29. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

29. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 473
jam justitiam laboraret, concitavit in se
Danorum arma. Contra hos dum mo-
vet, videt in somnis scalam ad cælos per-
tingentem, dumque illuc connititur, ec-
ce à legato expergefactus conqueritur ni-
mirum cælo se detractum. Sed eodem
mox subiit, cum proditus à suis in pug-
nâ cecidit. Nostri tamen ævi principibus
scalam, hoc est, vitæ exemplum reliquit.
Ex vit. Aquil.

*Dum vocat & licet, virtutes amplectere:
in oculis tuis versetur pudor, in auribus ve-
ritas, verba vitæ in linguâ tuâ, imago Dei
in corde tuo, in membris omnibus continen-
tia, ut ab Angelis & hominibus callande-
ris. S. Ephrem de Exercitatione.*

S. LUPUS EPISCOP. 29. Iulii.

LUPUM dixi. Tu, si vitam leges, o-
vem, scio, dices, ita placidis mori-
bus hic LUPUS erat. In conjugio an-
nos egit septem omnino. Dehinc inter
Cœnobitas cœpit vivere, & conjux in
virginum collegio, gratissimo Superis
divortio. Verum Trecenses ex cœnobio
extraxerunt, & quamvis invitum LUPUM
pastorem sibi legerunt, felicissimo even-
tu. Alter enim lupus sed longè crudelis-
simus gregi imminabat Attila, ille orbis
prædo ebrius semper, sed nunquam satur
humano sanguine. Et jam infesta signa
urbi inferebat, cum obvius irato cum suis
fit Pontifex, rogatque quem denique sese
esse

Gg 5

474 VITÆ SANCTORUM. 30. Iulii.
esse putaret Rex, qui mundum sic omnem fulminis instar pervaderet? Attila nihil humile spirans, *flagellum DEI* se esse responder. Hic enimverò Antistes portas pandi omnes civitatis jubet & modestissimis verbis avere multum jubet *Dei flagellum*. Quid expectas? verba hæc ferocissimum & ultima minitantem animum demulserunt, & *LURUS* tyrannum cicuravit. Cæterum huic verborum modestiæ victus quoque ratio & vestitus responderunt. Et cibum quidem tertio primùm die sumpsit, Sabbato cibario pane contentus. Vestem quoque unicam gestavit, sed subditiâ alterâ (cilicio) superbam. *Ex Surio & Naclero.*

Ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec Diabolus tibi aliquid faciet, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam: aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis. Flagellat enim omnem filium quem recepit.
S. Aug. in Ps. 31.

SS. ABDON & SENNEN M.M.
30. Iulii.

Censebantur ABDON & SENNEN inter primos Persiæ purpuratos. Et verò nisi cunæ in patriâ, mors Romæ purpuram donasset. Nam quòd Christiano principe non indignum officium arbitrarentur, Martyrum esse vespillones, suis-